



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

XI. Vtrum sufficiat reuelatio priuata ad obiectum formale fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

lectus earundem vocum vel signorum, sicut si essent præsentis voces illæ, aut signa: illa enim alia loquutio Dei per puram intellectionem rerum insensibilium magis pertinet ad Angelos, vel anima separatas, licet possit etiam aliquando Deus homini viatori modo illo loqui.

222
Deus an possit alicui immediate loqui, non imprimendo in eum cognitionem obiecti reuelati?

Ut tamen ad nostrum institutum reuertamur circa reuelationem Dei immediatam, dixi, doctrinam illam Suarezij initio adductam veram esse posse in aliquo casu, non tamen esse vniuersaliter veram. Nam in vniuersum loquendo, falsum est, Deum non posse alicui immediate loqui, nisi imprimendo in eum cognitionem obiecti, quod loquitur. In primis enim si Deus per voces externa loquatur cum Propheta, prout loquutus est cum Moyse in rubo, Deus non loquitur imprimendo se solo immediate Prophetæ cognitionem obiecti, quod loquitur, sed per voces, quæ significant, illud obiectum esse in mente Dei, & ordinari à Deo ad Prophetam ad communicandam ei suam mentem. Deinde etiam si Deus non loquatur per voces externas, sed formando in phantasia imagines vel vocum, vel rerum; potest id facere, absque eo quod imprimat in mente Prophetæ iudicium rei reuelatæ: imò & licet loquatur per reuelationes merè intellectuales, potest id facere: quia adhuc Propheta potest manere liber ad credendum obiectum sibi reuelatum, imò, & ad credendum, an illa sit reuelatio Dei, vel non: & de facto ita mansisse saltem communiter loquendo libros Prophetas, nec cognouisse euidenter illam esse reuelationem Dei docet idem Suarez *disp. 8. de fide sect. 5.* Vbi longè aliter reuelationem immediatam Dei explicat, quam in dicto loco tertiæ partis, & merito. Nam si Deus reuelans Prophetæ infunderet ei primo loco cognitionem obiecti reuelati, non remaneret locus fidei in Propheta circa mysterium illud; quia ex reuelatione euidenti non deducitur conclusio fidei, sed clara, ut videbimus *disp. 2.* Quare reuelatio illa debet incipere ab apprehensione talis obiecti, vel vocum, aut signorum illud significantium, quæ tamen talis sit; ut Propheta illam in se ipso percipiens possit prudenter sibi imperare assensum obscurum, quod credat, illam esse loquutionem Dei, & ideo etiam credat verum esse obiectum reuelatum propter illud testimonium Dei. Sicut nos audientes vocem Petri, cognoscimus aliquando clarè, aliquando etiam quando à longè, & in obscuro loquitur, obscurè, illam, esse vocem Petri, & inde mouemur ad credendum verum esse quod dicit. Sic ergo vox, & loquutio Dei, ut relinquat locum fidei in Propheta, non debet esse iudicium de re ipsa reuelata impressa à Deo, sed assimilari debet loquutioni nostræ, quæ significat mentem loquentis & ducit in notitiam obiecti dicti à loquente.

223

Dixi tamen, posse aliquando veram esse illam doctrinam: non enim videtur repugnare, quod Deus loquens alicui det illi immediate notitiam claram ipsius obiecti, quæ notitia talis sit, ut cognita reflexè ab audiente, cognoscat ordinatam esse ex se ad hoc, ut per illam Deus communicaret ei suam mentem, atque ideo erit propriè loquutio Dei: imò saltem, si non sit cognitio euidenter valde perfecta de obiecto reuelato, cum qua fortasse non potest esse fides de eodem obiecto (de quo dicemus *disp. sequenti*) possit deferuire ad fidem de obiecto reuelato: possit enim obscure solum cognosci ab habente illum actum, quod ille

esset loquutio Dei, licet euidenter cognoscat obiectum quare tunc credens illam esse loquutionem Dei, possit ab illa formaliter moueri ad fidem credendum obiectum reuelatum, propter illud testimonium Dei, atque ideo firmius crederet obiectum reuelatum propter illud motum, quam ante assentiretur cognitione euidenti sibi impressa. Quamuis enim fides non possit credere obiectum reuelatum propter reuelationem claram: illa tamen non esset reuelatio clara, ut reuelatio, sed obscura, quia quamuis clarè manifestaret suum obiectum, non constaret clarè, illam esse reuelationem Dei, sed obscure, & sub ea ratione moueret ad fidem eiusdem obiecti.

Denique addo, posse è contra Deum loqui aliqui immediate per loquutionem, aut notitiam talem, qua audiens cognoscat euidenter, Deum ipsi loqui, non tamen cognoscat immediate obiectum reuelatum, sed huius veritatem inferat ex reuelatione Dei euidenter nota. Sicut nobis euidenter constat communiter de loquutione Petri, quem audimus, non tamen cognoscimus immediate veritatem obiecti, quod loquitur, sed eam inferimus ex testimonio Petri. Sic possit solum cognosci euidenter reuelatio Dei testificantis tale obiectum, & tunc per discursum formalem, vel virtualem possit cognosci veritas obiecti reuelati: non tamen per fidem, quia veritas illa deducta ex reuelatione euidenter cognita, non crederetur prout sic obscure, sed euidenter, ut videbimus *disp. 2.*

SECTIO XI.

Utrum sufficiat reuelatio priuata ad obiectum formale fidei.

Diximus, reuelationem Dei esse obiectum formale parziale fidei: quærimus, an nominatione reuelationis Dei intelligatur solum reuelatio publica & communis, an etiam priuata. Priuatam autem vocamus, quam aliquæ priuata persone habent de rebus, quæ ad se pertinentibus & quæ ab ecclesia non proponuntur omnibus fidelibus.

Prima sententia negat, pertinere ad obiectum formale nostræ fidei priuatas reuelationes. Ita Caiet. in *presenti quest. 5. art. 3.* Scotus lib. 3. de natura & gratia c. 11. & in *Apolog. contra Cathar. c. 5.* Canus lib. 12. de locis c. 3. Valentia in *presenti disp. 1. quest. 1. puncto 1. §. 5. diffinitio 5.* Bañes in *presenti dub. 3.* & alij. Auctores huius sententiæ diuiduntur: nam alij dicunt ad obiectum fidei pertinere eas solum reuelationes, quæ sunt personis publicis; & quasi capitibus religionis: Alij discrimen reddunt ad res reuelatas, & dicunt, eas solum reuelationes pertinere, quæ sunt de rebus ad pietatem, & bonum commune conducentibus, Alij denique eas omnes quæ ad Deum, & christianam doctrinam pertinent, non quæ de aliis rebus extraneis hinc inde Loca in *presenti disp. 7.*

Secunda sententia communior iam docet, omnem reuelationem Dei sufficienter propositam pertinere ad obiectum formale nostræ fidei siue priuata sit, siue publicè ab ecclesia proposita nam licet priuatam non teneantur fideles omnes communiter credere, tenetur tamen credere ille, cui sit, & sufficienter proponitur, eodem habitu fidei,

Scotus in 2. d. 23. quest. vnicia, Vega lib. 9. in Trid. cap. 3. & 8. Cather. in Apologia contra Sorum de certitudine gratie cap. vlt. vbi vt testis oculatus testatur hanc sententiam quam P. Lainez Generalis nostræ Societatis contra Sorum acriter in Trident. probauit, communi Concilij approbatione fuisse suscepam eandem tenet Corduba, Aragonus, B. Ilarim, Salmeron, quos affert, & sequitur Suarez in præfenti disp. 3. sect. 10. num. 2. Turrian. in præfenti disp. 5. dab. 11. Hurtado disp. 8. & alij, quos affert, & sequitur Coninch. in præfenti disp. 9. num. 87. & Granado tract. 1. de fide disp. 6. nam. 7. quæ etiam defendunt iam communiter nostri Recitiores. Et videtur insinuari in Trident. sess. 6. cap. 2. & Can. 15. vbi damnantur qui sub infallibili certitudine de sua salute promittunt, nisi id ex speciali reuelatione dedicerint, quasi velint à P. supposita ea speciali reuelatione, posse id certa, & infallibili fide credi per eundem habitum, quo alia reuelata creduntur, quam fuisse Patrum mentem, testatur Cathar. vbi supra, qui eidem Concilio affuit.

Pro maiori tamen explicatione, possumus in
 alia dubia pariter hanc controvertiam. Primum
 itaque dubium esse potest, an Dei reuelatio pri-
 uata possit obligare sub peccato graui infidelitatis
 ad credendum obiectum sic reuelatum, aequam
 ab Ecclesia acceptetur. Ratio autem dubitandi
 desumi potest ex vsu fidelium, qui quando manet
 intra terminos reuelationis priuatae, non existi-
 mant se obligatos ad credendum. In contrarium
 verò est, quia Prophetae, & alij quibus Deus ali-
 qua reuelatur, non poterant sine peccato non cre-
 dere, etiam antequam ab vniuersa Ecclesia accep-
 tarentur. Quod autem Deus reuelaret animo
 publicandi, & vt per ipsos fieret reuelatio publi-
 ca, & communis toti Ecclesiae, non videtur augere
 gradum obligationis: nam quod Rex mihi ali-
 quid secreto dicat, non minuit debitum credendi
 licet nec augeatur hoc debitum ex eo quod id mi-
 hi dicat, vt alii communicem: in vtroque enim
 casu aequè faciem Regem mendacem ei non cre-
 dendum. Si ergo Propheta tenebatur Deo credere
 quod sibi reuelatur populo communicandum, te-
 nebatur etiam si aequè reuelasset, sibi secreto retin-
 endum.

In hoc puncto distinguendum videtur: possumus enim loqui vel de ipsonet, cui fit immediate reuelatio, vel de aliis, ad quos postea eius notitia derivatur. Loquendo ergo non de ipso, sed de aliis, credo, communiter loquendo, nunquam, aut rarissime obligari ad credendum positivè revelationem, vel obiectum reuelatum, quandiu manet intra terminos revelationis privatae, & non proponitur ab Ecclesia. Rationem huius insinuat supra: quia nimirum quandiu aliquis mihi nullo modo loquitur, nec mediata, nec immediate, non exigit à me fidem, sicut exigit, quando mihi loquitur; quare possum circa ea obiecta negativè me habere tanquam circa id, quod ad me non attinet. Quare quamvis aliquando tot concurrant motiva, vt non possum prudenter negare veritatem rei reuelatae; imò aliquando etiam non possum dubitare peractum positivum dicendo, dubito de veritate reuelationis, & rei reuelatae; non tamen apparet obligatio credendi positivè, cum Deus nec mediata, nec immediate loquatur mihi fuerit. Vnde non est sermo nunc de revelatione alicui immediate facta ad hoc, vt id ex parte Dei

alteri etiam priuatim nuntiaret: tunc enim occurrentibus motibus sufficientibus, credere teneretur positūe: est etiam, ad quem mandatum, vel nuncium illud deferretur, quia iam tunc Deus saltem per nuncium loqueretur illi, & exigeret ab eo fidem. Nos ergo loquimur de his solum, ad quos reuelatio non pertinet, quia per illam Deus nec mediate, nec immediate cum his loquitur.

Si verò loquatur de illo, cui reuelatio priuata immediate fit, non videtur negari posse, quod aliquando, & non raro teneatur illam, & obiectum reuelatum credere. Ratio autem est supra indicata, quia animus Dei publicandi reuelationem non videtur augere obligationem in eo, cui fit: Vel enim fit, & proponitur reuelatio cum sufficientibus motiuis, vt non possit prudenter de ea dubitari, vel non proponitur cum talibus motiuis. Si non adint talia motiua, non est obligatio positue credendi, sed potest prudenter suspendi assensus, & dissensus; & quidem satis frequenter ita expedit facere propter periculum frequens illusionis diabolice, quod later. Si verò adint motiua talia, vt non possit prudenter dubitari, debet positue credere, alioquin erit grauis irreuerentia in Deum, cui loquens, & sufficienter suam loquutionem proponenti ad exigendam hominis fidem, illam non possumus negare. Et quid in cum adit motiuium diuinae auctoritatis sufficienter proposita, cum summus cultus intellectualis deberet, erit etiam obligatio assentiendi, non viciumque, sed super omnia, sicut in rebus fidei debemus assentiri. Et quoad hoc, non videtur esse posita difficultas, loquendo de possibili, & ideo P. Suarez *dicta sect. 10. numero 2. dicit* Auctores primæ sententiæ fortasse non dissente, nisi quoad modum loquendi. Cæterum de re ipsa, non est dubium, quod possit reuelatio priuata proponi cum tantis creditariis motiuis ei, cui fit, cum quantis proponitur reuelatio publica. Imò posset euidenter proponi, itaut homo euidenter sciret, id reuelari ab ipso Deo, vt *infra* videbimus *displegg.* Ergo absque illo etiam gradu euidentie, poterit proponi cum euidentia saltem creditariis obligante ad assensum firmiter imperandum.

Ex hoc autem oritur secundum dubium, An alij quibus ea reuelatio facta non fuit, & ad quos non pertinet, possint, quando eis proponitur, & narratur, firmiter eam credere, & obiectum reuelatum. Nam P. Suarez *dicta scilicet*, 10. *num.* 7. solum dixit, respectu aliorum eam esse hanc obligationem, non tamen impossibilem : vt colligitur ex 3. *Reg.* 20. vbi quidam punctus est à Deo, quia non creditur particuli reuelationi cuiusdam Prophetæ. Cæterum tibi Prophetæ intimauit præceptum Domini ; cui alter obedire noluit, quare reuelatio illa ad ipsum etiam pertinebat. Quando ergo non pertinet ad alios, neque facta est, vt eis ex parte Dei proponeretur modo suprà explicato, credo quòd alij non possint ex motu fidei diuine, & per consequens neque ex eius habitu credere : quia tunc non potest resolui vltimo assensus in reuelationem immediatam, vel immediatam Dei, sed debet resolui in auctoritatem humanam referentis. Non potest enim resolui in reuelationem immediatam, quæ nulla est, cum Deus nullum nuncium ad audientes miserit, nec eis aliquid loqui voluerit. Sed nec potest resolui vltimo in reuelationem immediatam præteritam, quia hæc non constat immediatè ex terminis etiam obscure alijs quibus

229

Is cui reue-
latio priuata
immediatè
fit non raro
ntecitur illā,
& obiectum
reuelatum
credere.

230

An alij quibus ea reuelatio facta non fuit, possint firmiter eam credere, & obiectum reuelatum.

quibus narratur, sed solum constat ex narratione referentis, quare in eius auctoritatem humanam resoluendus est vltimò assensus, & per consequens non habebit obiectum formale vltimum fidei diuinæ.

231

Vnde aliud esset si coram aliis Deus Petro aliquid reuelaret, reuelatione priuata loquens cum solo Petro, & concurrentibus talibus motiuis, vt Petrus obligaretur ad positiuè credendum. Tunc enim, si motiua æquè constarent circumstantibus, sicut ipsi Petro, credo, quod ij etiam possent firmiter, & ex motiuis fidei credere reuelationem & rem reuelatam: nam eo casu possent ij etiam resoluere fidem suam in reuelationem illam præsentem, sicut & ipse, cui Deus loquebatur, cum nõ minus reuelatio & motiua in se ipsis immediatè eis obiciantur: quare sicut ij, coram quibus Rex loquitur soli Petro, possunt propter testimonium Regis credere, sicut & ipse Petrus, licet Petrus solus obligetur positiuè ad credendum, à quo solo fides exigitur, quia ad eum solum dirigitur sermo Regius: sic ij, coram quibus Deus Petro soli loquitur, poterunt credere propter idem testimonium diuinum. Quamuis autem ij fortasse non obligentur positiuè ad assensum, obligantur tamen ad non dissentendum, quia dissensus redundaret in magnam irreuerentiam diuini testimonij coram ipsis sufficienter exhibiti.

232

Reuelatione priuata an quia credat ex eodem habitu, quo creduntur reuelationes publicæ.

Restat ergo tertium dubium, an qui debet credere reuelationem priuatam sufficienter propositam modo explicato, credat ex eodem habitu, quo creduntur reuelationes publicæ an ex habitu diuerso: in quo placet secunda sententia supra relata, quod scilicet eadem fides, & idem habitus extendatur, & ad reuelationes publicas, & ad priuatas sufficienter propositas. Quæ sententia probari solet primò, quia Angeli eandem fidem habuerunt quam nos habemus; & tamen non crediderunt per reuelationem ab Ecclesia propositam, sed sibi peculiariter factam: Item Adamus ex priuata reuelatione credidit; Noë ex priuata reuelatione credidit futurum diluuium; Abraham nasciturum filium, &c. quam tamen fidem eandem cum nostra facit Apostolus ad Hebr. 11. loquitur enim de fide, quæ est principium iustificationis. Item in Scriptura continentur plura reuelata, quæ ad priuatas personas spectant, vt canis Tobie, & alia huiusmodi, quæ tamen fide nostra creduntur, ergo nec ex parte rei reuelatæ, nec ex parte reuelationis publicæ, vel priuata limitatur obiectum nostræ fidei.

233

Secundò probatur communiter hæc sententia, quia ratio formalis, quæ mouet ad assensum fidei non est veracitas Dei in reuelationibus publicis, aut quia Deus verax est, quando loquitur publicè, sed veracitas Dei vt sic: hæc autem ratio æquè applicari potest ad reuelationes priuatas; ergo idem habitus poterit elicere assensum propter vtramque reuelationem. Confirmatur Primò, quia quod reuelatio, quæ nunc est occulta, postea publica fit futura, non variat eam in ratione motiui; non enim mouet, quia postea futura sit, vel non sit publica, ergo in vtroque casu motiuum manet eiusdem speciei in ratione motiui, & per consequens pertinet ad eundem habitum. Confirmatur Secundò quia eodem habitu credo Petro loquenti vocibus, vel nutibus, vel scripto, licet ipsæ loquutiones differant inter se. Item eodem habitu credo Petro secretò, vel publicè loquenti, ergo eodem habitu possum etiam credere publicè

& priuata reuelationi Dei.

Hæc ratio sumpta ex vnitatem obiecti formalis non videtur omnino efficax; quia si in rigore loquamur, non est vnitas & idem in specie obiectum formale adequatum fidei: cum enim supra dixerimus, obiectum formale fidei non esse solam primam veritatem, sed etiam actualem reuelationem, consequens est, vt toties differant obiecta formalia, quoties reuelationes ipsæ differunt inter se. Nec exemplum de fide humana, quæ credimus Petro, aliquid probat; quia habitus acquisitus, quo credo Petro non est aliud, quàm species motiuorum, quæ habeo ad credendum illi, vt docui in lib. de anima; hoc est, species veracitatis illius, & alia species, quæ cognosco Petrum hic & nunc loqui; quæ quidem species diuersa est, quando Petrus loquitur lingua, vel scriptura, & per consequens ex hoc capite diuersus est saltem partialiter habitus, quo credo scribenti; cum sit diuersus assensus etiam formaliter, quo iudico vocem esse loquutionem Petri, & quo iudico scripturam esse loquutionem eiusdem: ergo si ex habitu acquisito ad infusum arguendum sit, potius ex hoc capite argueretur pluralitas saltem partialis habituum fidei pro diuersitate loquutionum Dei.

Dices, licet ipsæ Dei loquutiones differant inter se; non tamen mouent ad assensum fidei, secundum quod differunt, sed vt conueniunt in ratione reuelationis: non enim assentior mysterio, quia Deus reuelat taliter, vel taliter, sed præcisè, quia reuelat: ergo ratio formalis omnium actuum fidei est vna, & eadem formaliter loquendo. Sed contra, quia in primis hæc reuelatio Dei non mouet ad credendam Trinitatem, v.g. vt reuelatio est præcisè, sed vt talis, scilicet, vt de tali obiecto, sed reuelationes ipsæ variantur in specie pro varietate specifica obiectorum, sicut & cognitiones; ergo hæc reuelatio mouet secundum quod talis est in specie. Deinde esto non moueret vt talis, sed vt reuelatio est; adhuc negari non potest, quod assensus versetur circa ipsam, vt talem: diximus enim in superioribus, assensum fidei includere virtualiter tres assensus: primum, quo iudico, Deum esse primam veritatem. Secundum, quo credo istam reuelationem Trinitatis, v.g. esse diuinam. Tertium, quo credo Trinitatem: loquendo ergo de illo secundo assensu, ille attingit formaliter hanc reuelationem vt talis est; iudico enim istam in specie, & in individuo esse reuelationem Dei, ergo ille assensus habet pro obiecto formali hanc reuelationem, vt talem; ergo habitus fidei, à quo elicitur ille assensus habet plures reuelationes specie diuersas, pro vt tales, pro obiecto formali, si non motiuis, saltem terminatiuis, & de quo enunciat esse reuelationem; ergo ex vnitatem obiecti formalis non probatur efficax, quod idem habitus extendatur ad priuatas reuelationes, quàm doctrinam à me olim traditam postea approbatam inuenio apud Ripaldam to. 1. de ente supernaturali diff. 47. num. 6.

Existimo ergo, hanc sententiam melius probari auctoritate supra posita, ex qua fit probabilis congruentia sumpta ex aliis habitibus infusis: nam licet habitus acquisiti variantur pro varietate specifica obiectorum; habitus tamen infusi cum non generentur ab actibus, sed dentur ad modum potentia, sapiunt naturam potentia, & extenduntur ad plura obiecta formalia, quod de habitu

habitu charitatis videtur manifestum, nam eodem habitu volumus Deo plura bona specie diversa, quæ quidem non amantur materialiter, sed formaliter; non enim amantur ut media, sed ut fines; nam licet solus Deus sit finis cui charitatis bona tamen, quæ illi amantur sunt fines qui: quare sicut actus, quo mihi amo sanitatem, & actus quo mihi amo honorem, sunt specie diversi, propter diversa obiecta formalia, quæ habent, licet idem sit finis cui utriusque amoris: sic etiam actus quibus Deo amo diversa bona, habent diversa obiecta formalia, & tamen eliciuntur ab eodem habitu charitatis, licet non sit idem habitus acquisitus, quo mihi amo sanitatem, & honorem. Potest ergo idem habitus infusus fidei extendi ad plura obiecta formalia diversa, saltem partialiter, & per consequens ex hoc capite non repugnat eundem habitum fidei extendi ad utramque speciem revelationum.

Dices: Unde ergo distinguuntur habitus infusi inter se, si non distinguuntur pro distinctione obiecti formalis: aut cur non dicemus vnicum dari habitum infusum ad omnes actus supernaturales voluntatis, sicut datur vnica potentia naturalis ad omnes actus naturales; si quidem habitus supernaturales dantur ad modum potentie? Respondendo, probabile mihi esse potuisse Deum satis conaturaliter ad statum elevationis supernaturalis infundere vnicum habitum simplicem supernaturalem ad omnes actus supernaturales intellectus, & alterum ad omnes actus supernaturales voluntatis; ut obiectio probat: de facto tamen voluisse infundere plures habitus, quia voluit eos esse separabiles inter se; voluit enim, fidem manere sine aliis, & spem etiam sine charitate; ex quo ad minus habemus, hos tres habitus distinguere inter se iuxta Paulum I. Corinth. 13. Fides, spes, charitas, tria hæc, &c. ex quo etiam colligimus de facto datos esse plures habitus infusos, non quidem pro pluralitate solum vnicumque obiectorum formalium; nam quilibet ex his habitibus extenditur ad plura obiecta formalia, ut probatum est de habitu fidei, & de charitate; sed quorum singuli ferantur ad aliquam finem obiectorum similium inter se. Quare sicut ad unitatem scientiæ non exigimus vnicam rationem formalem obiectivam simplicem, quæ respiciatur ab omnibus actibus illius scientiæ, sed aggregationem plurium obiectorum partialium similium inter se, ut tradi solet in proœmio Logice, & latius in lib. de anima. Sic etiam ad unitatem habitus infusi non requiritur vnicum omnino obiectum formale, quod idem attingatur per omnes actus, sed aggregatio plurium obiectorum similium inter se. Alioquin si pro multitudine habituum acquisitorum, qui generari possunt, ponendi etiam essent habitus infusi, sanè essent penè infiniti: quod incredibile est. Quanta autem debeat esse hæc similitudo, & connexio inter obiecta, ut possint cadere sub eodem habitu infuso, non facile determinari potest. Posset aliquis contendere, requiri unitatem obiecti formalis saltem partialis: nam licet charitas habeat diversa obiecta formalia ex parte bonorum, quæ Deo volumus; habet tamen idem obiectum formale ex parte bonitatis Dei, cui amantur ea bona: & licet fides habeat plura obiecta formalia ex parte revelationum, habet tamen idem ex parte veritatis Dei, propter quam assentitur. Hæc tamen regula fortasse non est vniuersalis, quia

vnitas subiecti, cui aliquid volumus non sufficit ad unitatem virtutis infusæ: alioquin temperantia & spes essent eadem virtus, quia finis cui amatur bonum temperantia, & beatitudo supernaturalis, est idem homo.

Melius ergo responderi fortasse poterit, hanc regulam determinatam, & certam non posse à priori assignari ad distinguendos habitus infusos, sed solum posse à posteriori colligi ex distinctione fidei, spei, & charitatis, quas ex separabilitate, & ex Paulo ubi supra scimus distinguere, ex quarum distinctione probabiliter colligitur, differre alios habitus, inter quorum actus reperitur tanta diversitas: quanta reperitur inter actus harum trium virtutum. An vero hæc diversitas sit inter actus infusos, & aliquoties in particulari, arbitrio prudentis pensandum est. Sufficiat nunc aliquam regulam generalem assignare cum aliquo fundamento; non enim video, quod aliud probabile fundamentum habeamus ad distinguendos realiter habitus infusos virtutum moralium inter se.

Ex his tamen oritur quantum dubium, an quando reuelatio priuata non obligat omnino ad credendum positive cum, cui sit, vel eos, coram quibus sit modo supra explicato, quia nimirum non proponitur cum euidencia credibilitatis, prout frequenter contingere potest; qui tamen eam & eius obiectum credit, possit credere eodem habitu fidei infuso, quo credit res nostræ fidei. Videtur quidem ex vno capite, non posse habitum nostræ fidei ad eum assensum concurrere, quia assensus ille non potest prudenter fieri cum eadem firmitate in modo adherendi, cum qua sunt assensus nostræ fidei, ad quos præcedit pia affectio voluntatis, ut infra videbimus, orta ex iudicio euidenti credibilitatis ostendente, non posse prudenter dubitari, vel сомидити de reuelatione, aut re reuelata, quare voluntas prudenter imperat assensum omnino firmum, & super omnia, & cohibet omnem formidinem, quod non potest voluntas prudenter imperare, quando non præcedit euidencia credibilitatis; ergo tunc non potest prudenter eliciri assensus ita firmus, & per consequens non fiet ab habitu nostræ fidei, quæ firmissimè credit: nam si firmus esset, iam non prudenter fieret, & per consequens non esset actus virtutis infusæ.

Aliunde tamen videtur idem habitum sufficere ad eas reuelationes credendas. Primum, quia si ad eas poneretur alius habitus diversus, ille deberet esse virtutis Theologicæ, cum haberet pro obiecto formali saltem partiali, & ultimo aliquid diuinum, nempe veritatem Dei, propter quam crederentur ea obiecta, licet non ita firmiter, eo quod reuelatio non proponitur cum euidencia credibilitatis. Unde præter tres habitus Theologicos communiter assignatos ponendus esset quartus Theologus incognitus. Secundum, quia, quod actus illi non sint ita firmi in modo assentiendi, sicut alij, non videtur arguere, nec exigere habitum diversum: nam in primis eodem fides, quam præstamus Petro, quando certò constat de eius testificatione, inclinat saltem partialiter ad credendum, licet non ita firmiter, quando non ita clarè, sed probabiliter constat de testificatione ipsius. Deinde loquendo de habitibus infusis, non videtur quod ij alligentur solum ad actus perfectissimos, & non possint etiam aliquando concurrere ad actus minus perfectos, & firmos circa idem obiectum formale. Nam charitas non semper elicit actus æque perfectos:

238

239

Reuelatio priuata quando no obligat ad credendum, an credatur eodem habitu infuso, quo res fidei?

240

perfectos; aliquando enim diligit Deum super omnia, ita ut velit placere Deo in omnibus, etiam ubi non est obligatio præcepti, sed solum consilium maioris perfectionis & ubi interuenit maior Dei gloria: aliquando vero vult solum placere Deo super omnia, ubi est præceptum, atque ideo non displicere Deo etiam leuiter; aliquando solum vult placere Deo super omnia, ubi est obligatio præcepti grauis, & non displicere vnquam grauius Deo, qui omnes actus eliciuntur certè ab eodem habitu charitatis, non obstante eorum inæqualitate in perfectione, & modo adherendi: quia nimirum obiectum, & motuum formale est idem, nempe bonitas infinita Dei. Vnde non apparet etiam, cur non possit charitas concurrere ad actum, quo quis doleret de peccato patricidij, v.g. propter grauissimam offensam Dei, quam continet, qui actus non videtur etiam implicite extendi ad omnia alia peccata mortalia, quorum grauitas non est tanta: nam sicut dolor de peccato mortali ex motiuo charitatis propter eius grauitatem displicentem grauius Deo non extenditur implicite ad venialia, quæ non displicent grauius Deo: ita dolor de patricidio propter grauissimam offensam Dei non videtur extendi ad alia peccata grauiora, quæ non ita grauius displicent Deo, de quo dixi d. sp. 5. de penitentia sect. 6. num. 82. Hoc autem ipsum clarius apparet in aliis virtutibus infusis: nam actus misericordiæ, quo vult aliquis dare vnum aureum ad subleuandam miseriam pauperis, elicitur quidem à misericordia, licet non extendatur etiam implicite, & virtualiter ad dando centum aureos, si necessarij sint ad subleuandum pauperem, non est ergo alligatus habitus misericordiæ solum ad actus perfectiores, sed potest etiam idem concurrere ad actus minus perfectos: quod idem ostendi potest in actibus temperantiæ, iustitiæ & aliarum virtutum. Ideo ergo dici poterit de habitu fidei non alligari ad solos firmissimos, sed posse aliquando concurrere ad minus firmos, quando ij actus non habent imperfectionem positivam, ob quam excludantur à ratione virtutis.

241

Mihi, ut verum fatear, hæc secunda pars magis placet; quia vnitas habitus maxime sumenda videtur ex vnitate obiecti formalis, quod idem omnino est in vtroque assensu, nempe veracitas, & reuelatio Dei, licet reuelatio magis proponatur ad vnum assensum, quam ad alterum, & ideo obligat ad assensum firmiorem: nec videtur alligandus vnus habitus ad actus solos eiusdem perfectionis, aut firmitatis circa idem obiectum formale. Aduerto tamen primò, sicut actus charitatis, quo homo solum auerfaretur grauissimam offensam Dei, & non extenderetur ad omnem offensam grauem etiam virtualiter, non esset sufficiens dispositio ad iustificationem, quia non diligeret Deum super omnia, cum non præferret legem Dei grauem in omni casu, sic etiam actum illum fidei minus firmum, non sufficere simpliciter ad denominandum hominem fidelem, nec ad iustificationem sine alia fide firma circa articulos fidei nostræ. Vnde rursus aduerto, obiectum illud, & reuelationem priuatam taliter creditam assensu minus firmo non dicendum simpliciter creditum ex fide. Quia sicut ille habitus non denominatur fides Catholica, nisi in ordine ad actus, quibus creduntur articuli crediti à tota Ecclesia, licet extendatur etiam habitus ille ad reuelationes priuatas, ut mox dice-

mus: sic etiam ille habitus non dicitur fides diuina simpliciter, nisi in ordine ad assensum omnino firmos: quare per actus minus firmos, etiam habent idem obiectum formale, non dicuntur res credi ex fide, vel tanquam de fide, quia hic modus credendi significat solum assensum firmissimum, & omnino certum: per quod patet ad rationem dubitandi in contrarium propositam.

Nunc iam soluamus fundamenta primæ sententiæ. Primum est, ex Augustino, dicente, se non crediturum Euangelio, nisi Ecclesia id proponeret, & in Enchyridion. cap. 9. fide tantum credi, quæ ad religionem spectant. Et ex S. Thoma infra quæst. 5. art. 3. ubi docet obiectum formale fidei esse primam veritatem, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, & 1. part. quæst. 1. art. 8. fides, inquit, nostra non inuitur reuelationi factæ aliquibus Doctores, vel Sanctis, sed solum reuelationi Apostolorum, & Prophetarum factæ, qui Canonicos libros scripserunt. Respondetur, Augustinum meritò non crediturum Euangelio, nisi Ecclesia proponeret; quia ipse non haberat priuatam Euangelij reuelationem: si tamen eam haberet, crederet vtique Euangelio propter illam reuelationem. Item meritò docet, fide credi, quæ ad religionem spectant, quia quæ ad scientias merè naturales attinent non reuelantur, cum non spectent ad finem supernaturalem. Ad Sanctum Thomam dicimus, loqui de obiecto fidei regulariter, & communiter loquendo, & eodem sensu negat inniti nostram fidem priuatis Sanctorum reuelationibus, quia Ecclesia nonquam illas proponit, & seculæ Ecclesiæ propositione non possunt regulariter nobis constare sufficienter ad eliciendum fidei assensum. Quare meritò Apostoli & Prophetæ dicuntur fundamenta nostræ fidei in multis scripturæ locis, quæ affert pro se Valentia ubi supra; non tamen probant, nisi de lege ordinaria, iuxta quam fatemur, fidei Christianæ mysteria non constare per priuatas reuelationes.

Secundo obijciunt, quia fides nostra est Catholica, hoc est, vniuersalis, ergo non inuitur priuatis, sed publicis reuelationibus: aliquando non esset Catholica, sed fides priuata, cum non omnes obligaret, sed aliquos. Respondetur eundem habitum fidei denominari fidem Catholicam, quatenus elicit assensum circa communes reuelationes; non tamen obstat, eundem habitum posse elicere assensum circa reuelationes priuatas, & sic non denominari fidem Catholicam.

Tertiò obijciunt, quia qui non credit priuata reuelationi, non est hæreticus, nec fidem amittit: ergo fides non inclinatur ad assentiendum huic reuelationi.

Respondeo, prædictum esse quidem infidelem non tamen hæreticum, quia ad hæresim exigitur, contumacia contra Ecclesiæ propositionem: existimo tamen quod amitteret habitum fidei, quod aliqui recentiores videntur negare, quia fides non solum hæresi, sed quouis infidelitatis peccato mortali deperditur, ut docet Tridentinum sect. 6. cap. 15.

Tertiò obijci potest, quia cui priuatum aliquid reuelatur, cognoscit clarè, hoc sibi à Deo reuelari: ergo non potest habere assensum obsecrum de re reuelata, qualis debet esse omnis assensus elicitus ab habitu fidei circa obiecta reuelata. Ad hoc argumentum, quod facile solui potuisset, difficile satis respondit P. Coninch.

diff. 9. dub. 6. num. 91. assensum circa rem reuelatam tunc inniti reuelatione, quæ de facto est evidens credenti, non tamen ea inniti, quatenus evidens est, siue ita ut ipsa evidentiā ingrediatur rationem obiecti formalis, quia iam assensus fidei non esset certior illa evidentiā, & consequenter non esset vera fides diuina, quæ omnem naturalem evidentiā debet superare. Sed evidentiā illa habet se solum per modum proponētis obiectum, sicut definitio Ecclesiæ, aut lectio Scripturæ sacræ. Scio enim euidenter hoc ibi contineri, quando Euangelium mihi lego, & scio etiam euidenter orbem totum consentire, quod id à Christo sit traditum, saltem evidentiā morali; & tamen fides mea non nititur illa, evidentiā, sed immediatè reuelatione Dei.

Hæc tamen responsio, & doctrina difficilis est & ad obiectiōis solutionem nullo modo necessaria, difficilis quidem, quia ex ea heret, nullam conclusionem esse euidentem, quamuis ex principiis euidenter cognitis deducatur: nūquam enim evidentiā est motuum formale obiectum, cum evidentiā non sit prædicatum ex parte obiecti, sed ex parte actus cognoscentis clarè obiectum; actus autem non sunt obiectum motuum, sed applicant, & repræsentant obiectum præmissarum; quod quia clarè proponunt præmissæ euidenter, eo præcisè inferunt conclusionem euidenter, quia faciunt clarè apparere eius obiectum in obiecto præmissarum clarè propositio. Si ergo reuelatio Dei, cui nititur assensus rei reuelatæ, clarè proponit reuelationem, non potest non influere euidentiam in obiectum reuelatum; cum ad hoc non sit necessarium moueri ab ipsa evidentiā reflexè cognita. Vnde constat ratio à priori, quia cum obicitas sit negatio claritatis, non potest obicitas credi conclusio, nisi quando eius obiectum non apparet clarè in se, neque in alio. Eo autem ipso, quod præmissarum obiectum, & eius connexio cum obiecto præmissarum apparet clarè, & euidenter, iam in ipsis apparet clarè obiectum conclusionis, cum hæc sit effectus formalis illius evidentiæ præmissarum & bonitatis illuminationis, ergo non potest obiectum conclusionis credi obicitas.

Nec exempla adducta quidquam probant: distinguendum enim est inter obiectum, & inter evidentiā, quæ obiectum cognoscitur. Et quidem obiectum illud, quod est principium, cui innititur conclusio, quodcumque illud sit, & siue obicitas, siue clarè cognoscatur, debet semper æquè vel magis credi, quam ipsa evidentiā, vel claritas formalis, quæ principia cognoscuntur, nam evidentiā, vel claritas non cognoscitur, sicut nec ipsa præmissa formalis, cum qua identificatur. Quando ergo reuelatio priuata euidenter cognoscitur, non posset quidem magis credi res reuelata quàm reuelatio; posset tamen intellectus firmius credere rem reuelatam, quàm credat se habuisse evidentiā de reuelatione, quia evidentiā, seu cognitio euidentis de reuelatione non est principium obiectum, vel obiectum formale, propter quod credatur res reuelata. Non est autem absurdum, quod non magis credatur reuelatio, quàm reuelationem euidenter cognosci: quia, ut supra indicauimus agentes de assensu circa veritatem Dei, & infra agentes de certitudine fidei dicemus, assensus fidei debet esse firmior omni assensu euidenti, à quo ipse non pendet tanquam à præmissa: secus si ab eo dependeat ut

Card. de Lugo de virtute fidei diuine.

à præmissa: tunc enim præmissa etiam illa debet esse firmior omni alio assensu euidenti; & hoc ex imperio voluntatis, ut possit deferuire ad assensum fidei firmissimum: de hoc tamen infra dicendum est. Hinc ad exempla illa facile responderetur, euidentiam physicam, quæ cognosco & lego talem propositionem contineri in libro Euangelij, & evidentiā etiam moralem, quæ video, hoc recipi à tota Ecclesia, non esse principium obiectum, cui innititur fides articuli. Continentia autem ipsa huius articuli in Euangelio, & consensus Ecclesiæ, quem video, si ipsa se habent ex parte principij obiectiui, & complent, vel integrant reuelationem mediatam Dei, propter quam formaliter ego credo iuxta supra dicta, devent utique à me credi æquè, vel magis quàm res reuelata, ut possim firmiter assentiri rei reuelatæ, sicut ob eandem rationem debeo veracitatem Dei mihi euidenter notam firmius credere, quàm alia obiecta euidentia, ut in præ diximus loco citato. Secus verò dicendum, si continentia illa, quam lego in libro Euangelij, vel consensus Euangelij, non compleat, vel integret reuelationem mediatam Dei, propter quam credo.

SECTIO XII.

Utrum necesse sit obiecta per fidem credenda proponi prius per Ecclesiam.

Puncto præcedenti annexa est hæc difficultas, an scilicet possint credi per fidem christianam obiecta nostræ fidei, antequam per Ecclesiam, vel eius nomine alicui proponantur.

Suppono primò, non prærequiri ad credendum audire res fidei ab Ecclesia, ut habente antecedenter auctoritatem infallibilem in proponendo ex assistentia Spiritus sancti, & cognoscere in Ecclesia hanc auctoritatem propter assistentiam Spiritus sancti ita eam gubernantis, ut nunquam possit proponere aliquid falsum: probatur facile, quia hoc ipsum creditur fide diuina, quæ docet in Ecclesia esse huiusmodi auctoritatem, ergo ante ipsius fidei assensum non potest requiri cognitio huius infallibilis auctoritatis: & experientia docet, non omnes pueros, vel adultos, qui de nouo ad fidem accedunt concipere in Ecclesia hanc infallibilem auctoritatem, & assistentiam Spiritus sancti, antequam vllum alium articulum credant. Credunt etenim articulos eo ordine, quo proponuntur; hunc autem articulum auctoritatis Ecclesiæ contingit credi, postquam alios plures crediderunt. Solum ergo potest ad summum prærequiri cognoscere res fidei proponi ab Ecclesia, concipiendo in Ecclesia secundum se auctoritatem maximam, humanam, quæ reperitur in vniuersa fidelium Congregatione, quod à fortiori constabit infra ex prima Conclusionem:

Dices, si ab Ecclesia præscindamus auctoritatem infallibilem diuinam; manebit solum in ea auctoritas fallibilis, ergo meritò possumus cogitare, quod aliquando fallitur, & per consequens formidare ne in propositione etiam huius articuli decipiarur, ergo ut consideratur cum hac sola auctoritate, non potest mouere ad certam fidem. Respondetur, licet non sit euidentis, auctoritatem Ecclesiæ secundum se esse infallibilem, esse tamen

F euidentis,

247

Obiecta per fidem credenda an debeant proponi prius per Ecclesiam.

248

Non prærequiritur ad credendum concipere in Ecclesia infallibilem auctoritatem, & assistentiam Spiritus sancti.

248